



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.
Canonum Ordinarii Professoris**

Juris Canonici A. R.P. Paulo Laymanno Societatis Jesu Theologo SS.
Canonum In Alma, Catholica, Et Episcopali Universitate Dilingana
Professore Qvondam Ordinario, Prælectionibus Academicis Illustrati

Laymann, Paul

Dilingæ, 1673

Capitvlvm XVI. Veniens.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62587](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62587)

fit, num ab Episcopo jurantis relaxari possit. *gloss. hic. verb. inuiti. Imol. c. Si verò. n. 4. hoc. tit. Sylvester. verb. juramentum. 4. 9. 7. negant, argumento. l. Metum. 6. ff. Quod metus causâ, quibus Sanch. l. 4. de marrim. disp. 10. n. 9. assentitur, si de relaxatione juramenti in externo foro sermo sit, secus, si de relaxatione pro foro conscientie, sed arbitror rectius docere. Joan. Andr. hic. n. 6. Abbatem. n. 3. Alex. n. 7. Quod Judex ex officio relaxare potest juramentum promissorium, tamen si leui metu iniuste extortum sit, quia si talis metus causam jurandi dedit, adest tota ratio, cur juramentum remitti, aut relaxari debeat, videlicet turpitudò metum incutientis, ne ex iniquitate sua commodum ferat, sicuti docet *gloss. in c. Quod dilectus. verb. metum. de iis, que vi. ex l. Non est. 23. §. ult. ff. Quod metus causa. & dixi. l. 3. tract. 4. c. 6. n. 4. ad l. Metum. Respondeo, licet metum leuem passo, qui causam promittendi dedit, non succuratur per editum Prætoris seu per actionem, quod metus causa, succurri tamen Judicis implorato officio propter æquitatem, & in odium metum incutientis.**

CAPITVLVM XVI.

Veniens.

PARAPHRASIS.

A Verbis contenderat, cum M. pluribus vicissim illatis conuitiis, & cum exinde grauis inimicitia orta esset, quidam se pacis constituendæ causâ interponentes suggererunt A. vt pro satisfactione Venetorum Ciuium quorundam mandato se obediturum juraret, quod ipse fecit ex confidentia, seu bona fiducia, ratus non se aliquid commisisse, ob quod graue quidpiam imponendum sibi esset, sed Ciues illi præceperunt, A. vt Ducis Veneti curiam nunquam intraret, nisi cum omnes per generale editum ad curiam vocarentur. Verùm A. qui Ducis consiliarius erat, & multarum

Ecclesiarum aduocatus, quibus ipse in iudicio patrocinium præstare obligabatur, tale juramentum nunquam edidisset, si eiusmodi mandatum suæ obligationi contrarium suspicatus esset.

Hac re cognita Innoc. III. mandat Patriarchæ Grandensi, si posterius istud juramentum priori licite edito cognouerit esse contrarium, vt Apostolica auctoritate declaret, non seruandum esse.

SUMMARIVM.

1. In generali & jurata promissione non veniunt ea, quæ aliquis, si in mentem venissent, verisimiliter promississet.
2. Juramentum de parendo mandatis alterius, quomodo intelligendum.

NOT. I. In generali, & jurata promissione non veniunt ea, quæ aliquis, si in mentem venissent, verisimiliter non promississet, sed excepisset, propterea quod nimis graua sint, aut honestè impleri non possint, ita *gloss. hic. verb. præsciussisset. Alex. n. 6. S. Th. 2. 2. q. 89. a. 2. ad 3. & docui l. 4. tract. 3. c. 9. n. 3.*

NOT. II. Juramentum de parendo mandatis alterius intelligi debet, si mandet quæ iusta sunt; & quæ sine peccato & alterius præiudicio impleri possunt, vt docetur etiam in *c. Quinta Vallis. 23. hoc. tit. & docet S. Th. loc. c.*

Exinde inferri debet, si alicui obligatus sis ad dandum, vel faciendum quidpiam, v. g. puellæ ad nuptias per sponsalia etiam nõ jurata, quod juramentum subsequens, priori obligationi contrarium (videlicet si postea cum alia puella juratus contrahas sponsalia) ipso iure irritum sit, quandoquidem juramentum non est vinculum iniquitatis, idque docui. *l. 3. tr. 10. p. 1. c. 1. n. 5. Videri potest Abbas. hic. n. 9.*

CAPITVLVM XVII.

Breui.

PARAPHRASIS.

Aliquis se juramento obligauit, quod iura cuius-